Las cuentas de Roger de Lauria

II

Jaime II, siendo todavía rey de Sicilia solamente, aprueba las cuentas de Roger de Lauria, desde el 1.º de Julio de 1285 hasta fin de Agosto de 1287. Mesina 29 de Septiembre de 1287. Pergamino 719 del Archivo de la Catedral de Valencia.

Jacobus Dei gratia rex Sicilie, ducatus Apulie et principatus Capue. Notum fieri volumus universis tam presentibus quam futuris: quod nobilis Rogerius de Lauria, miles, regnorum Aragonum, Sicilie, Maioricarum Valencie et comitatus Barsillonie Ammiratus, dilectus consiliarius, familiaris et fidelis noster, presentatus coram magestatis nostre presentia, ad ponendum coram nobis finalem et debitam rationem de pecunia et rebus aliis per eum, subofficiales et numarios suos, receptis, solutis et assignatis, pro quibuscumque causis et negotiis, ostendit et assignavit culmini nostro quaternos introytus et exitus pecunie et aliarum rerum per eum ac diversos commissarios, nuntios et subofficiales suos, a primo die mensis iulii terciedecime, usque per totum mensem augusti, quintedecime indictionum, proximo preteritarum, per diversas vices, loca et tempora receptarum, pro parte nostre curie, in Catalonia et Sicilia, tam a diversis officialibus curie et personis aliis, de pecunia curie et eorum propria et per seipsum curie mutuata et recepta, pro aliis diversis causis et negotiis, quam de venditionibus servorum, vassellorum et aliarum rerum, redemptionibus et liberationibus captivorum rebellium et inimicorum nostrorum, olim per totum tempus ipsum, acquisitorum et captorum per eumdem Ammiratum et suos commissarios, cum nostro felici extolio et vassellis aliis, necnon solutarum et assignatarum per eos, per totum predictum tempus, in predictis partibus, pro reparationibus, munitionibus, et armationibus extoliorum nostrorum et aliis, diversis causis, negotiis et servitiis. Quibus quaternis visis, examinatis et discussis, eumdem Ammiratum et heredes suos, de tota quantitate pecunie et aliarum rerum, per eum ac commissarios et subofficiales suos, a tempore quo commissum sibi predicte ammiratie officium exercere incepit in antea, usque per totum mensem iunii, dicte tertiedecime indictionis, et a predicto primo iulii, usque per totum predictum mensem augusti, dicte quintedecime indictionis, receptarum, solutarum et assignatarum, pro predictis et aliis quibuscumque causis et negotiis, de quibus coram magna nostra curia, quaternos introytus et exitus assignavit, finalem et debitam posuit rationem et integre curie satisfecit, in et ab omni onere positionis et satisfactionis rationis predicti officii, totius predicti temporis, totaliter absolvimus et quietamus, et non obstante ritu curie, qui secundum consuetudinem regni nostri Sicilie servatur in talibus. Pro quo, in presenti apodixa, particulariter seu

sumarie, non continetur introytus et exitus pecunie et aliarum rerum totius predicti temporis, qui iuxta predictum ritum, distingui et contineri debebat. Presens scriptum quietantie omne robur, cautelam et firmitatem habere volumus ac si de predictis omnibus, in presenti apodixa, plena et expressa mentio facta esset et predicta omnia distincte et particulariter contineret. Questionibus, dubiis et defectibus inventis et notatis in rationibus predictis, sibi, per nos, de speciali gratia, relaxatis. In cuius rei testimonium ac predicti Ammirati suorumque heredum cautelam, sibi exinde presentem absolutionis et quietantie apodixam fieri et magestatis nostre sigillo pendenti iussimus communiri. Datum Messane, anno domínice incarnationis M° CC° LXXXVII°. mense septembris, penultimo eiusdem, prime Indictionis. Regni nostri anno secundo.

En el sello -|- S. Jacobi Dei gra... rex ..Ap.. p...at... Capue. Es la misma leyenda del encabezamiento.

XII

Roger se presenta el 6 de Septiembre de 1287 ante el rey D. Jaime II de Aragón, para dar cuenta de su almirantazgo, desde 1.º de Julio de 1285, hasta fin de Agosto de 1287. Fecha del documento, 14 de Julio de 1288. Pergamino 9411 del Archivo de la Catedral de Valencia.

Jacobus, Dei gratia, rex Sicilie, ducatus Apulie et principatus Capue. Notum facimus universis, quod nobilis Rogerius de Lauria, regnorum Aragonum, Sicilie, Valentie, Maioricarum et comitatus Barcellonie Ammiratus, dilectus consiliarius, familiaris et fidelis noster, olim sexto die mensis septembris, huius prime indictionis, apud Messanam, presentatus coram nostra celsitudine, ad ponendam de predicte ammiratie officio sibi commisso, necnon introytu et exitu totius pecunie et aliarum rerum quarumlibet per eum, commissarios et subofficiales suos, pro parte nostre curie receptarum et assignatarum, a primo die mensis iulii tertiedecime, usque per totum mensem augusti, sequentis quintedecime indictionum proximo preteritarum, finalem et debitam rationem et ad satisfaciendum nostre camere, de toto eo, in quo, per rationem eamdem, debitor nostre curie appareret, ostendit et presentavit curie nostre quasdam litteras commissionis sibi facte, per serenissimum quondam dominum regem Petrum, illustrem regem Aragonum et Sicilie, dominum patrem nostrum, clare memorie, et alias itteras nostras commissionis sibi facte per nos, post predicti domini patris nostri obitum, de predicto ammiratie officio; quarum auctoritate officium ipsum, per totum predictum tempus, exercuit et exercet; commissionibus ipsis, eo quod predictum exercet officium, remanentibus penes eum. Ostendit etiam et assignavit eidem curie, in nostri presentia, quaternos generalis introytus et exitus pecunie et aliarum rerum quarumlibet, per eum, commissarios, subofficiales et nuntios suos, receptarum et assignatarum, pro subscriptis causis et negotiis, per totum tempus predictum et per quaternum sui introytus, per eum curie assignatum. Ponit et ostendit, per manus suas et infrascriptorum diversorum commissariorum, nuntiorum et subofficialium suorum, —quorum nomina et cognomina, quantitas pecunie per quemlibet eorum recepta, a quibus, quantum a quolibet, quibus temporibus et locis et pro quibus causis, in eodem quaterno distincte notantur,—olim per diversas vices et tempora subdistincta, per totum predictum tempus, auctoritate tam predictarum commissionum et sui ammiratie officii, quam mandatorum nostrorum, infra tempus ipsum, propterea sibi missorum, que curie assignavit et oretenus sibi factorum, pro parte curie recepisse a seipso et subscriptis officialibus curie et personis aliis, de pecunia permissionis armate nostri felicis extolii et alia pecunia curie expensa per manus eorum, necnon de infrascripta pecunia per eum et alios curie debita, pro subscriptis causis et mutuo a seipso et subscriptis mutuatoribus, de eorum pecunia propria, pro reparatione, munitione et armatione dicti nostri extolii et aliorum vasellorum nostre curie, infra predictum tempus, armatorum pro nostris servitiis et pro aliis causis, negotiis et servitiis subdistinctis, sicut predictus quaternus particulariter et plene distinguit, ad generale pondus, pecunie et denariorum regalium quantitatem subdistinctam, videlicet.

Olim infra mensem aprilis quartedecime indictionis, nuper preterite, a Bertrando de Bellopodio, tunc regni Sicilie thesaurario, consiliario, familiari et fideli nostro, de pecunia curie, existente per manus suas, convertendas per eumdem Ammiratum in nostris servitiis, per eum in Catalonie partibus faciendis: uncias mille. Vicesimo eiusdem mensis aprilis, apud Panormum, mutuo a Matheo de Thermis, magne curie nostre magistro rationali, consiliario, familiari et fideli nostro, assignante sibi per manus Laurencii de Calatabuturo, solventis nomine et pro parte ipsius Mathei, de pecunia propria eiusdem Mathei: uncias centum. Vicesimo tertio eiusdem, apud Trapanum, a Rogerio de Manueli, quas idem Rogerius, pro parte curie nostre, receperat a Bonsignoro de Aloysio, tunc iusticiario vallis Mazarie, assignante sibi, ad mandatum nostrum tunc propterea sibi factum, convertendas per predictum Ammiratum, in munitione et armatione duarum galearum et unius vaccette curie nostre, cum quibus idem Ammiratus, tunc temporis, ad partes Catalonie, pro nostris servitiis est profectus: uncias ducentas. Infra predictum mensem aprilis, apud Trapanum, a seipso, in quibus nostre curie tenebatur, pro iure exiture salmarum frumenti trecentarum, tunc extractarum per eum, de portu Trapani, cun quadam terida sua, vocata Santus Iulianus, cuius erat prepositus Iulianus Boscus, ferendarum abinde in Cataloniam, ad rationem de taris tribus per salmam: uncias triginta. Olim infra menses iunii et iulii, dicte quartedecime indictionis, apud Barcelloniam, auctoritate patentium litterarum nostrarum, quas curie assignavit, continentie talis: «Iacobus, Dei gratia, rex Sicilie, »ducatus Apulie et principatus Capue, presenti scripti serie, notum fieri volumus »universis, quod Rogerio de Lauria militi, regni nostri Sicilie ac regnorum Aragonum, »Maioricarum et Valentie Ammirato, dilecto consiliario, familiari et fideli nostro, quem, »pro quibusdam nostris negotiis, ad partes Catalonie destinamus, commisimus quod »possit recipere mutuo, pro parte curie nostre, a quibuscumque mutuatoribus, quan»titatem pecunie sibi necessariam et oportunam, pro ipsis commissis sibi curie nostre »servitiis exequendis; necnon vendere, pro parte curie nostre, exituras victualium de »portubus Sicilie extrahendorum, extra regnum ferendorum, ac facere permutationes »seu barattas, de quibuscumque rebus seu mercibus, cum quibuscumque mercatori»bus, pro habenda ipsa quantitate pecunie necessaria et oportuna sibi, pro dictis nos»tris negotiis sibi commissis, si forte ipsam quantitatem pecunie mutuo invenire non »posset; promittentes sibi fide nostri culminis, pro parte ipsius nostre curie, totam »quantitatem pecunie, quam dictus Ammiratus, pro parte nostra, mutuo receperit, »pro exequendis ipsius curie nostre negotiis, a mutuatoribus quibuscumque, mutua»toribus ipsis restituere, persolvere et integraliter exhibere; necnon huiusmodi ven»ditionem faciendam per eum, pro parte nostre curie de dictis exituris victualium ac »dictas permutationes seu barattas, quas Ammiratus ipse faciet, pro parte nostre »curie, pro habenda dicta pecunie quantitate, ratas et firmas habere et victualia ipsa, »quorum vendiderit exituras, permittere extrahi, per emptores ipsorum, de portubus »Sicilie, ferenda extra regnum, iuxta conventiones et pacta inter eumdem Ammiratum »pro parte curie nostre, et mutuatores predictos, necnon emptores et contrahentes »habita, ac si principaliter per nostri excellentiam acta essent. Datum Messane, anno »domini millesimo ducentesimo octuagesimo sexto, mensis martii vicesimo nono, eius»dem quartedecime indictionis, regni nostri anno primo». Recepisse a diversis mercatoribus catalanis, pro unciis quatringentis quinquaginta tribus, taris decem et granis quindecim, ponderis generalis, per eos debitis curie, pro iure exiture et dohane salmarum frumenti trium milium quatringentarum, tunc concessarum eis, per predictum Ammiratum, pro parte nostre curie, auctoritate ipsarum litterarum nostrarum, ad extrahendum de portubus Sicilie et ferendum extra regnum, ad loca licito et per-

missa, quorum mercatorum nomina et cognomina et quantitas exiture cuilibet eorum concesse et pro quanta quantitate pecunie, in eodem quaterno particulariter continentur, ad rationem de taris tribus, pro iure exiture et de taro uno pro iure dohane cuiuslibet salme ipsius frumenti, promisse eisdem mercatoribus per dictum Ammiratum, pro parte nostre curie et convento, auctoritate predictarum litterarum, quod si predicti mercatores vel aliqui ex eis predictam quantitatem frumenti in toto vel in parte vellent extrahere in Cataloniam deferendam, liceret eis ultra quantitatem extrahendam et ferendam in Cataloniam, de summa predicta extrahere de Sicilie portubus et ad partes ipsas deferre, libere a iure exiture et dohane ipsius, quartam partem quantitatis eiusdem extrahende et ad dictas partes Catalonie deferende, eo quod pro solidandis in eisdem partibus balistariis et servientibus ad partes Sicilie pro nostris servitiis destinandis et faciendis aliis nostris servitiis, sibi in eisdem partibus per Nos ad exequendum commissis, pecunia erat sibi plurimum oportuna; denariorum regalium, ad rationem de ipsorum denariorum libris duabus, solidis decem per unciam, libras de numero mille centum triginta tres, solidos sex et denarios octo. Infra menses iunii et iulii, quartedecime indictionis, per diversas vices, aput Barcelloniam, a Raymundo Marketto et Raymundo Favellerio, de eadem terra Barcellonie, quas idem Ammiratus, per eumdem quaternum posuit et ostendit se recepisse et emisse ab eisdem, pro unciis auri quingentis decem, taris tredecim et granis quinque, de predicta pecunia sibi assignata, in Sicilie partibus, pro exequendis et faciendis exinde in Catalonia diversis nostris negotiis, sibi in eisdem partibus per nostram celsitudinem ad exequendum commissis, ad rationem eamdem de denariorum rggalium libris duabus, solidis decem per unciam, sicut predictus quaternus plenarie distinguit; eorumdem denariorum libras de numero mille ducentas septuaginta sex, solidos duos et denarium unum. Olim, a septimo iulii, usque per totum secundum diem mensis augusti dicte quartedecime indictionis, per diversas vices, aput Barcellonium et maritimam de Bagnolis, auctoritate predictarum patentium litterarum nostrarum, mutuo recepisse, in defectu pecunie curie tunc non existentis, per manus suas in necessaria quantitate, ab eisdem Raymundo Marketto et Raymundo Favellerio, de eorum pecunia propria, pro solidandis in eisdem partibus, militibus et equitibus in Sicilliam ad nostra servitia transmittendis, necnon aliis nostris servitiis et munitione predictarum galearum duarum et unius vaccette armatarum per eumdem in dicta terra Trapani, cum quibus ad dictas partes Catalonie navigavit, companagio et aliis necessariis, tam personarum in eis navigantium, quam vassellorum ipsorum, restituendis eis per nostram curiam, vel Ammiratum eumdem, pro quibus idem Ammiratus, pro parte nostre curie, auctoritate predictarum litterarum, permisit et convenit eisdem mercatoribus restituere et exhibere, de pecunia curie, que ad manus suas pervenerit, vel per curiam nostram restitui et exhibere facere; que contingunt, ad rationem predictam, de denariorum regalium libris duabus, solidis decem, per unciam, ad generale pondus: uncias nongentas, taros duos, grana decem et septem: predictorum denariorum libras de numero duomilia ducentas quinquaginta, solidos quatuor et denarios novem. Summa introytus predicte pecunie et denariorum regalium, ad idem pondus: uncie mille trecente triginta et predictorum denariorum libre de numero quatuormilia sexcente quinquaginta novem, solidi tredecim et denarii sex.

Posuit etiam et ostendit per eumdem quaternum sui introytus, auctoritate predictarum patentium litterarum, olim infra predictum mensem iulii, mutuo recepisse, in defectu pecunie curie tunc non existentis, per manus suas, in necessaria quantitate, a subscriptis hominibus Barcelonie, de eorum pecunia propria, pro solidandis in predictis Catalonie partibus, comitis, naucleriis, balistariis et personis aliis, tunc depu-

tandis ad armationem certi numeri galearum armandarum, in eisdem partibus in comuni, pro comunibus servitiis et utilitatibus serenissimi et carissimi fratis nostri domini Alfonsi, illustris regis Aragonum, Valentie, Maioricarum et comitis Barcelonie et nostris, pro quorum vassellorum armationibus, medietas pecunie et aliorum necessariorum per predictum fratem nostrum et reliqua medietas, per nos exhibita extitit et soluta, sicut infra, in exitu, particulariter et distincte notatur; pro qua idem Ammiratus, auctoritate predictarum litterarum permisit et convenit de pecunia curie prius ad manus suas perveniura, restituere et exhibere et in eius defectu per nostram curiam restitui facere, predictis mutuatoribus, pecuniam contingentem, ana predictorum denariorum regalium libras duas, solidos decem per unciam, denariorum ipsorum quantitatem subdistinctam, videlicet; a Raymundo Marketto, libras de numero mille quingentas; a Berlingerio Maylo, libras de numero mille quingentas; a Raymundo Favellerio, libras de numero mille trecentas; et a Iacobo de Santo Clemento, libras de numero ducentas triginta, solidum unum, denarios decem.

Ostendit per quaternum eumdem pro parte nostre curie recepisse, pro denariorum magonensium libris de numero quatringentis contingentibus Nos, pro medietate librarum octingentarum denariorum ipsorum, per eum, pro parte dicti domini fratris nostri et nostra receptis, pro liberatione et redemptione quamplurium personarum captarum per eum cum predictis galeis in comuni armatis, in conflictu Serignany et Besers, reliqua medietate acquisita predicto domino fratri nostro, ad rationem de libris duabus, solidis sedecim denariorum ipsorum per unciam, ad dictum generale pondus; uncias centum quatraginta duas, taros viginti quinque, grana sedecim. Infra menses septembris et octubris, predicte quintedecime indictionis, que contingebant Nos pro medietate unciarum auri quatuor milium quatringentarum quatraginta duarum, tarorum viginti duorum et granorum quinque, dicti ponderis, perceptarum per predictum Ammiratum et eius commissarios, de venditione sarracenorum mille ducentorum quinquaginta quatuor, utriusque sexus, olim, infra mensem augusti, dicte quartedecime indictionis, acquisitorum et captorum per eumdem Ammiratum, ad opus predicti domini fratris nostri et nostrum in insula Quarkarii, cum predictis galeis armatis in Sicilia et Catalonia, in comuni cum eodem domino rege et infra predictos menses septembris et octubris, venditorum in Trapano et Panormo, sicut quaterni particularis venditionis sarracenorum ipsorum, per predictum Ammiratum curie assignati, plene distinguntur, reliqua medietate ipsius pecunie attributa dicto domino fratri nostro; unciarum duo milia ducentas viginti unam, taros undecim et grana duo et medium, que contingebant Nos, pro medietate unciarum auri ducentarum triginta duarum, tarorum decem et octo, perceptarum per eumdem Ammiratum, ad opus predicti domini regis Aragonum et nostrum, pro liberatione et redemptione quorumdam sarracenorum captorum per eum, cum ipsis galeis, in predicta insula, ultra predictorum sarracenorum numerum, reliqua medietate ipsius pecunie acquisita eidem domino fratri nostro; uncias centum sedecim, taros nouem. Summa predicte pecunie recepte mutuo, pro armandis in comuni predictis galeis et predicte medietatis Nos contingentis, de acquisitione predicta, ad idem pondus; unciarum duo milia quatringente octuaginta, tari quindecim, grana decem et octo et medium; et predictorum denariorum libre de numero quatuor milia quingente triginta, solidus unus et denarii decem.

Computantur etiam et ponuntur in eodem introytu, iuxta predicti quaterni tenorem, que debebantur nostre curie per Ammiratum eumdem, pro iure exiture et dohane

salmarum frumenti mille quingentarum, olim infra predictum annum quartedecime indictionis, extractarum per nuntium eiusdem Ammirati, de portu Licate, cum quadam navi sua vocata Bankeria, ferendarum abinde extra regnum, ad rationem de taris tribus, pro iure exiture, et de taro uno, pro iure dohane cuiuslibet salme frumenti ipsius: uncias ducentas. Per eumdem quaternum ostendit, olim infra mensem octobris dicte quintedecime indictionis, apud Messanam, recepisse mutuo a seipso, quas de sua pecunia propria ad mandatum nostrum, tunc oretenus sibi factum, nostre curie mutuavit, solvendas per eum, pro solidis stipendiariorum nostrorum et aliis curie nostre servitiis, super quibus restituendis eidem Ammirato ad Hugonem Talat et Fredericum de Incisa, dudum infra predictum annum quintedecime indictionis, magistros portulanos Sicilie, mandatum nostre celsitudinis emanavit et eas predictus Ammiratus, ab eisdem magistris portulanis recepit, pro restitutione ipsius mutui, sicut infra notatur; uncias mille ducentas. A duodecimo die dicti mensis decembris in antea, usque per totum diem nonumdecimum predicti mensis aprilis, per diversas vices, loca et tempora, in eodem quaterno introytus distincte notata, per manus magistri Virgilii de Cathania, Petri de Villario, nuntiorum predicti Ammirati, recipientium loco sui, a Venuto de Pulcaro et sociis, dudum in eodem anno quintedecime indictionis, cabellotis iuris dohane maris contingentis curiam, de victualibus et leguminibus tunc extrahendis, de Sicilie portubus et ferendis extra et infra regnum, extra Siciliam, pro solidis predictorum stipendiariorum de pecunia per eos curie debita, ratione cabellotie ipsius, computatis in eis unciis septem et taris octo, per eumdem Ammiratum curie debitis, pro iure dohane predictarum salmarum frumenti ducentarum decem et octo tunc extractarum, per predicti Ammirati nuntium, cum predicta navi sua, cuius erat prepositus Henricus Nigrinus, et ferendarum extra regnum, ad rationem de taro uno per salmam, sicut idem quaternus particulariter et plene distinguit, ad idem pondus in summa; uncias quingentas decem et octo, taros viginti, grana decem et novem et medium.

Ostendit per eumdem quaternum, ultimo mensis septembris, dicte quintedecime indictionis, apud Trapanum, pro parte dicte nostre curie, recepisse a seipso de summa pecunie contingentis predictum dominum fratrem nostrum, de predicta pecunia percepta per eum, de venditione predictorum sarracenorum captorum in predicta insula, cum predictis galeis, pro restitutione medietatis unciarum auri ducentarum octuaginta quatuor, tarorum viginti duorum et granorum decem, olim solutarum per eumdem Ammiratum, de pecunia nostre curie pro armatione et aliis necessariis duarum galearum et unius vaccette curie, dudum armatarum, in Trapano, pro mensibus duobus, numeratis a quintodecimo iulii, predicte quartedecime indictionis; que simul cum aliis galeis armatis in Barcellonia, in comuni, pro parte dicti domini fratris nostri et nostra, recesserunt de maritima civitatis eiusdem, ad ipsius fratris nostri et nostra servitia profecture, usque per totum quintum decimum mensis septembris, sequentis quintedecime indictionis, per quod tempus vassella ipsa, simul cum predictis galeis armatis in Catalonia, deputata fuerunt et moram traxerunt ad comunia servitia predicti domini fratris nostri et nostra, reliqua medietate ipsius pecunie Nos propterea contingente; uncias centum quatraginta duas, taros undecim et grana quinque.

Ostendit etiam per predictum quaternum introytus sui, per manus suas et infrascriptorum commissariorum suorum, infra predictum annum quintedecime indictionis, per diversas vices et tempora subdistincta, in quaterno ipso notata, recepisse tam a iudice Bernardo Coppula et sociis, tunc iudicibus Messane, assignantibus nomine et pro parte universitatis civitatis eiusdem, quam ab infrascriptis

iustitiariis Sicilie et personis aliis, pro reparatione, munitione et armatione nostri felicis extolii, in eodem anno armati, de pecunia promissionis armate dicti extolii, tunc in Sicilia imposita et taxata, existente per manus eorum, sicut in eodem quaterno particulariter et distincte notatur, ad idem pondus, pecunie quantitatem subscriptam, videlicet. A primo novembris, usque per totum mensem februarii, dicte quintedecime indictionis, apud Messanam, per manus notarii Guillelmi de Bella, nuntii predicti Ammirati, a predictis Bernardo Coppula et sociis, que in eodem anno, predicte universitati propterea fuerunt imposite et taxate; uncias quingentas. A septimo mensis ianuarii, usque per totum mensem augusti, dicte quintedecime indictionis, diversis diebus et locis, in predicto quaterno distinctis, per manus, tam predicti Ammirati, quam Bernardi Romei et Petri de Mathia de Pattis, nuntiorum suorum, a Symone de Calatafino, tunc iustitiario vallium Castri Iohannis, Demine et Melatii, de pecunia predicte promissionis, in eodem anno, in iurisdictione sua imposita et taxata, et sibi per nostram curiam ad recolligendum commissa; uncias tria milia centum quinquaginta, taros viginti quatuor, grana decem. A septimodecimo die mensis ianuarii, usque per totum vicesimum quintum diem mensis aprilis, indictionis eiusdem, diversis diebus et locis, in quaterno ipso distinctis, per manus suas, nec non Iohannis de Nazario de Castanea, dicti notarii Guillelmi Galzerandi de Monteolyo, Gisberti de Valromana et Rogerii Morena de Syracusia, nuntiorum suorum, a Robberto de Laurla tunc iustitiario vallis Nothi, de pecunia promissionis eiusdem, in eodem anno in iurisdictione sua imposita et taxata, et sibi per curiam ad recolligendum commissa; uncias duo milia sexcentas septuaginta novem, taros decem et octo. Ultimo aprilis, dicte quintedecime indictionis, apud Messanam, per manus predicti Ammirati, a Guillelmo de Namuntaguda, castellano castri Miney, et tunc statuto per nostram curiam super recollectione pecunie predicte promissionis, in eodem anno imposita et taxata universitatibus terrarum Miney, Calatagirone et Gulfi, de pecunia promissionis eiusdem, in eisdem terris imposita et recollecta per eum, per manus Staloris de Florentia et Perpignani hostiarii nostri; uncias quatringentas nonaginta novem, taros viginti sex. A secundo die dicti mensis ianuarii, usque per totum quartumdecimum diem predicti mensis madii, diversis diebus et locis, in quaterno ipso distinctis, per manus predicti Ammirati, necnon Chapi Florentini, Bernardi Romei et Bartholomei de Monteolyo, nuntiorum suorum, a Frederico Mumito tunc iustitiario vallis Agrigenti, comitatus Geracii, partium Cephaludi et Thermarum, de pecunia predicte promissionis, in eodem anno imposita et taxata, et sibi per curiam ad recolligendum commissa; uncias duo milia sexcentas decem et novem, taros tres, grana decem. A vicesimo tertio dicti mensis ianuarii, usque per totum mensem iulii, dicte quintedecime indictionis, diversis diebus et locis, in quaterno ipso distinctis, per manus suas et Bartholomei de Monteolyo, Berlingerii de Monteolyo, predicti notarii Guillelmi et Raynaldi de Syracusia, nuntiorum suorum, ab Ardoyno de Calloro, tunc iustitiario vallis Mazarie et collectoribus pecunie promissionis ipsius, universitatibus Mazarie et Marsalie imposite et taxate, de pecunia predicte promissionis, in eodem anno in iurisdictione sua imposita et taxata, et sibi per curiam ad recolligendum commissa, computata pecunia assignata predicto notario Guillelmo, per Michaelem Campanarium hostiarium nostrum, pro parte predicti iustitiarii, de pecunia promissionis eiusdem —: unclas mille nongentas quinquaginta septem. Tertiodecimo predicti mensis ianuarii, quintedecime indictionis, apud Panormum, per manus predicti Bartholomei de Monteolyo a Petro de Calatagirano, protheutino Panormi, statuto per eumdem Ammiratum, pro parte curie, super armatione vasellorum curie nostre, armatorum in

(CONTINUARÁ).